



4
26
1758 3
**ORDINIS IVRIDICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI**

H. T.

**PRO - DECANVS
CHRISTIANVS HANACCIUS**

I. V. D

DIGESTI INFORT. ET NOVI PROF. PVBL
CVRIAEC PROVINCIALIS. SCABIN. ET
FACVLTATIS IVRID. ASSESSOR

P. 264
LECTORI BENEVOLO

S. D. P



1758.

ORDINIS IURIDICI
IN ACADEMIA ALTMERIENSIS
H. T.
PRO-DECANUS
CHRISTIANVS HANNGIAS
T. A. D.
DIGESTI INSTITUTI ET NOVI LIGOR. AVER
CARIAE TROYANOVALE SCVLPI ET
MANUFACTORIS IURID. ASSISTOR
EXCOLVIA PLATNEROLO
e d 4





IURISPRUDENTIA NATURALIS PASSIM EMENDANDA

II

DOMINII ORIGO EXTRA DUBIVM POSITA



M erito sibi et generi humano gratulari posse vide-
tur aetas nostra cum seculo, pauculo superiori,
de multa Iurisprudentiae Naturali adhibita cul-
tura, qua hunc factum esse creditur, ut nobilissimus ille cam-
pus spinetis aliisque anniis ac deuinis in illo remotis ac sublatis,
per iustas suas regiones dispersus censeatur. Hoc finium re-
gundorum iudicio opus omnino fuit, in tanta doctrinae mo-
ralis confusione, quae, cuius disciplinae legitimos suos ponit
limits lapidesque, valde urgebat. Facto experimento, in-

secer,

2



secernendis rebus ad iustum, que honestum, utile, ac decorum, uel accurate pertinent, uel perperam referuntur, in singulis quoque amplius processum est, ad plures entium moralium disiunctiones, quae identidem non tam re, quam cogitatione tantum scholastica, nituntur, et Iuris Naturalis cognitionem turbant magis, quam iuvant. Sunt enim Theologia Naturalis, Ethica, Politica et omnes reliquae disciplinae morales, sine uniuersali Iuris Naturalis imperio, in illis omnibus perfecte agnito, conatus mere otiosi, inutiles et umbratiles. Equidem fateor, quoad Iuris Naturalis uerum ignoratur principium, omnes illas, antea commemoratas disciplinas, secus quam ingenti prolixitate magnaue operae ac solertiae ostentatione, tradi haud posse. Neglecta itaque hic omni simplicitate atque cognoscendi facilitate, quam tamen ueritas atque in primis Ius Naturae ualde amat, parum aut nihil utilitatis generi humano expectare licet, ex tot tantisque operiosis demonstrationibus. Possent quoque plura maioris momenti afferri impedimenta, quae progressionibus paullo felicioribus, in Iuris Naturalis cultura, magnopere obstant. Referendum hoc est in primis neglectum reuelationis lumen, sine quo in tenebris crassissimis uersantur atque, in graniam gentilium et atheorum, sponte falluntur omnes Iuris Naturalis cultores. Deinde a sumptae fabulosae gentilium opinione, de origine generis humani huic pertinent. Primum hominem cum socia egregia perfectione cum animi, tum corporis, suisce creatum, sacra docet histo-



historia, ^{a)} lapsu vero fatali, illam perfectionem perdidisse hominum genus, ac deinceps in peius semper prolapsum, atque in perniciem irruere coepisse. Quem lapsum fatalem, collata hominum praesenti imperfectione, cum brutorum suo modo perfectione connata, captus ipse humanus non potest non intelligere. ^{b)} E contrario gentiles somniabant, homines e terra editos, initio fuisse quasi truncos, stupidos, rudes, donec sensim paullatimque philosophiae beneficio, ad sapientiam optimumque mentis lumen peruererint. ^{c)} Quam vero sinistre philosophentur illi, qui peruerso hoc ordine utuntur et corruptelas mentis humanae stultitia sua emendare frustra student, funestae eorum ac pestiferae opiniones abunde probant. His addo tertium in studio Iuris Naturalis aequem magni momenti, quod, in tradendis officiis erga alterum, regulam fundamentalem, de officiis erga se ipsum, ab optimo seruatore, Iuris Naturalis instauratore sanctissimo probatissimo

^{a) pl. 10 fol. 10 recto. 11 verso. 12 recto. 13 verso. 14 recto. 15 verso. 16 recto. 17 verso.} que

a) Leg. Comp. Histor. Gotb. eccl. lib. I. cap. I. sec. I. §. 8. HEIDEGGER. in Hist. Patriarch. exercit. IV. §. 49. seq. AUS. Anonym. in Opuscul. gallice scripto, quod vocat, le monde naissant, a Viret. 1686. pag. 263. seq.

b) Leg. PHIL. MORNAEVS, de veritate relig. christ. cap. 16. et 17.

c) Gentilium, in primis DIODORI SICULI et aliorum testimonis adducuntura PYSENDORFIO, de I. N. et G. lib. IV. cap. IV. §. VIII. GROT. de uerit. relig. christ. lib. I. §. XVI. pleniora vero tradit TOBIAS PFANNERVS, in syst. theol. genit. cap. VII.



que, traditam, uulgo negligent. Verum, hypothefibus, pro
lubitu licentiaque sentiendi, assumptis, iustitiae diuinae sacra-
rium omnino turbant, in suis sibi ineptiis mirifice placen-
tes. Ferenda quoque non est distributio Iuris diuini, in perse-
ctum et imperfectum, quippe quae gloriose diuinissimi legis-
latoris Maiestati ualde aduersa est. Imperfectum enim aliquid
in ius diuinum non cadit, neque coactionis humanae imbecilli-
tas istius Iuris uigorem minuere potest. Vulgares has
gentino Iuri Naturali inimicas prorsusque intolerabiles senten-
tias indicasse hic modo sufficiat, cum easdem pluribus perstring-
ere praesens institutum haud patiatur, ab illo tamen abhor-
rere haud uidetur, si, communis doctrinae emendandae cau-
sa, *de origine dominii*, hic aliquid scripsero, illo quidem,
omni exceptione maiori, fultus principio, quod Dei gloria con-
tineri, alias publica disputatione probatum ac demonstratum
dedi. Hoc certe eo minus poterit displicere, cum illud alii as-
sumptis principiis magnopere succurrat et tantum omnia reliqua,
si quid boni illis in esse, inueniatur, emendet, confirmet et ad com-
munem fontem reducat. Quanta huic principio, a gloria diuina-
desumto, demonstrandi uis insit, in eruenda dominii origine, pro-
bare periclitabor. Inuestigatio dominii orti requirit quidem de-
monstrationem historicam, cuius tamen fides, sine ueritate morali,
uix poterit sperari. Haec itaque primum expedienda
est. Videlicet res, extra homines creatae, cuiuscunque sunt
generis, hos, de dupli obligacione, a summo conditore im-
posita



posita, commonefaciunt, partim ut Deum e rebus creatis studiose
 cognoscant, partim ut, utendo iisdem, conseruatione sua fungan-
 tur. Vtrumque fieri, gloria Dei, ueluti omnium actionum
 diuinarum finis absolutus, iubet. Fluit inde, quod ad usum
 rerum attinet, non tam facultas, quam potius necessitas uten-
 di rebus, quemadmodum conseruationis causa postulat, cum
 lex diuina arbitrio humano neutriquam subsit, eius potius con-
 temtio, cum summa in Deum contumelia, non possit non esse
 coniuncta, quo certius destructionem hominis procurans fini
 Dei adversatur. Consequitur porro, illo quidem tempore,
 quo res, sine quibus non vixit, primum occupandae erant,
 nulla conuentione aliorum, nulloque illorum consensu opus
 esse poterat, nec tilla fingenda communio, de qua multum
 contenditur, cum a communione non, nisi consensu reliquo-
 rum, recedi possit, quod inumeras gigneret difficultates, fin-
 gitorum conseruationi admodum periculosas. Idem existi-
 mandum est, de uniuersali rerum dominio, quod ad totum
 hominum genus, ex donatione Dei, pertinere, putant, ex quo
 deinceps proprietates singulorum, prout reliquis uisum fuisset
 hominibus, dimanasset, in statu naturali. Mirum sane ui-
 detur, quid hic, rei expediendae causa, assumendum censea-
 tur, quod uero omne a Iuris Naturalis simplicitate eiusdem
 que genuina indole uehementer abhorret, multisque premitur
 incommodis. Negotium quoddam ciuile, inter sanctissi-
 mum Effectorem et homines, satis incommode effingunt at-

que



que astruunt, ut ius hominum^o in res, iusto titulo, probari queat. Neque dominio quodam rerum uniuersali opus est, cum etiam sine illo, singuli sibi iuste afferere possint res, doctrinam licet istam, de donatione,^o dominio, communione communique diuidendo, haud intelligent. Homo, uiuere sese intelligens, instinctu naturali, ea quaerit, sine quibus non potest uiuere. Hoc est illud, quod natura omnia animalia docuit, hoc non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in coelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. Hoc uero neque in brutis, neque in hominibus, ullam per se habet moralitatem, utpote quiae non nisi in homines cadit, si, uel secundum normam, a Deo rationi impressam, agant, uel non agant, quod expectari non potest a brutis, libera agendi facultate destitutis, quae quidem se ipsa etiam studiose conseruant, omnique nisi destructionem et interitum suum auersantur, sed homo, Dei uoluntati, legitimo rationis usu facile agnitus, obtemperatus, hic simul moraliter debet agere, atque instinctum suum naturalem, legis naturalis imperio, ad finem Dei, quem gloria eius demonstrat ac probat, dirigere, in hunc quidem modum, ut rerum usura sua obtineatur conseruatio, neque simul alterius impediatur. Est enim alter idem, quod nos sumus, eademque omnibus imposita est a Iure Naturae obligatio, sese conseruandi. Nemo itaque plus rerum sumere sibi ac tribuere debet, quam suae

^o) Donatio tamen Dei gratis Patriarchis facta, Gen. XXXV. 12.
ad totum genus hominum non pertinet.

¶ ¶ ¶

xx

conseruationis causa, opus esse videtur. Intra hos limites, a
Iure Naturae positos, subsistens, nolentibus, uolentibus reli-
quis hominibus, perfecto iure agit, et sine laesione aliorum, in oc-
cupandis rebus, ad conseruationem necessariis. Peccatur autem
contra istam legem Dei, plus iusto sibi arrogando aliorumque
conseruationi detrahendo. Quodcumque uero legitimam istius
acquisitionis mensuram excedit, uel in medio relinqu, uel in
usum futurum reliquorum hominum, qui suae conseruationi
nondum consuluerunt, asseruari, uel eorum consensum requiri,
oportet. Lex tamen diuina, in tanta rerum opulentia et affluentia,
conseruationem noluit restrictam, ad simplicem et ingratam necef-
sitatem, sed uitam quoque commodiorem et hilarem, perpe-
tuam etiam posterorum, qua gloriae diuinae studium promo-
uetur, omnino comprobat, ac, segreges quidem homines non
prorsus negligi, patitur, potissimum tamen, singularum familia-
rum, quae generis humani uera sunt fulcra ac stabilimenta,
posteaque futura ciuitatum ac rerum publicarum fundamenta,
rationem haberi, iubet. Quare res omnes diuina sunt naturae
deposita, quae, in statu naturali brutis patent libere, sed
hominibus tantum, gloriae diuinae studiosis, reliquis uero,
ueluti usurpatoribus ac malae fidei possessoribus, legis diuinae
autoritate, sunt occlusa. Hanc iuris diuini ueritatem op-
primere nec debent, nec possunt, mentis humanae corruptelae,

nec

e) His merito occupationes caninae accensendae sunt, quas statuit
SCHMAYSSIVS, in I. N. p. 391, si duo uel plures in occupatio-



nec fieri iustae rerum acquisitiones, nisi isti diuinæ legi, supra demonstratae, congruant. Enī itaque tibi nunc originem dominii, iuri diuino comprobatam, quae certe non turbatur, siue illi respondeat origo historica, siue minus. Quare nullis pactis et conuentionibus expressis, aut tacitis, sed tantum occupationibus opus erat, ad introdūcendas rerum proprietas, quibus contineantur dominia. E contrario dominium rerum uniuersale, earumque communio atque res nullius, peraeque sunt inutilia figmenta. Occupationum historiam per texere operaे omnino hic pretium foret, cuius multa monumēta in scriptura sacra occurruunt, quae gentilium fabulis nō merito praeferenda sunt. Iam ante diluvium, de crebro factis occupationibus eo minus pōret dubitari, quo certius est, hoc et Dei iussu, *de replenda terra, Gen. I. 28.* quod non, nisi adipiscendis per occupationes possessionibus contingere potuit, et conseruationis necessitate cogente, fieri oportuisse. Post diluvium Deus, repetita prioris mundi benedictione, praeceptum de occupanda terra, Noach o eisque filiis ac posteris denuo instaurauit, *Gen. IX. 1.* inquiens: *et terras numeroſa ſobole complete.* Secuta quoque est terrae diuifio, inter posteros Noahicū, *Gen. X.* de qua in historia sacra diligenter exponi ne concurrant. Sed iusta hic agnoscenda est communio, non tam armis, quam conuentione, tollenda.

f) *VARRONEM*, Romanorum doctissimum, tempus omne diuisisse, constat, in obſcuris, fabulosum, et historicum, apud CENSORINVM, *de die natali, cap. 21.*



eur. ^{a)} In hac terrae distributione, Iapheto, primogenito, benedictione tamen secundo, Noachi, filio, Europam et Asiae partem obtigisse, veterum traditioni, potissimum Iosephi ^{b)} et Eusebii ^{c)} testimonis nixae, eta SAMVELE BOCHARTO ^{d)} copiose expositae, eo magis fidem habere licet, cum Moysis historiae haud sit aduersa. Cognoscimus inde primos autores, a BOCHARTO nominatos, ipsamque originem starum occupationum, quae, in hac nostra orbis parte, iustas rerum proprietates ordiri sierint. Sed isti NOACHI, uel potius, quod uero simillimum est, tantum Chami posteri, obedire nolentes iussui diuino, de occupando terrarum orbe, temerarium, de aedificanda turri Babylonica, inierunt consilium, quo eludere posse credebant iussum diuinum, de occupanda reliqua terra, donec tandem Deus, immissa linguarum confusione, eosdem et dissipauerit et uoluntatem suam, de diuidendis hominum coloniis in orbem terrarum, executus est.^{e)} Occupationes terrarum secutae atque susceptae duplicitis fuisse generis uidentur, aliae Patriarcharum, quae singulari Dei uoluntate, illis patesfacta, nitebantur, reliquis uero hominibus haud

*** 2 ***

per

g) Conf. compend. hist. eccl. Gothan, lib. I, cap. I, seq. II, §. 19. seq. ubi etiam in §. 18. NOACHI genealogia referatur.

h) Lib. I, cap. VI. Antiq. Indaicar.

i) In Chronico, pag. 10. Edit. Scalig.

k) In Phaleg, lib. III, cap. I, seq.

l) Gen. XI. Comp. Goth. dict. loc. §. 22. seq. HEIDEGGER. in Histor. Patriarch. Exercit. XXI. et XXII. IAC. PERIZONIUS, in Orig. Babylonicas, cap. VII.



permisæ, aliae, ad ductum Iuris Naturalis peragendas, quæ ad omnes reliquos homines pertinebant. Primi generis occupationes ex historia sacra cognoscendæ sunt multaque habent singulæria. Patriarchæ enim in tentoriis habitantes et ea modo huic modo illuc, pro pascuis, quæ murabant pecudes, veluti maxima patrimonii sui pars, promouentes, nullum appetebant ius territoriale, nec sedem fixam ante, quam illis a Deo, in Palæstina posteris suis postea assignatam, quaerebant, adeoque vicinis gentibus nec molesti erant, nec alienas terras invadebant sibiique subiicere studebant ^{m)} quæ omnia ac singula diligentiori explanatione digna omnino sunt, quam in rem legendus IOAN. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *Historia sacra Patriarcharum*, II. 10¹ mis, in quo Amstelodami 1688. 1689. edita, et alii, qui historiae occupationum Patriarcharum eorumque descendantium, concinnandæ subsidia præbent. Reliquorum hominum occupationes, quæ, uel in scriptura Sacra, uel in scriptoribus profanis, commemorantur, nihil fere singulare continent, nisi identidem a lege naturae, supra tradita, recedant atque in eiusdem iuris censuram incurant, quemadmodum de principiis HOBBESIANIS ac SCHMAYSSLANIS optime iudicat VIR SUMME REV. D. IOANNES MARTINVS CHLADENIUS.ⁿ⁾ Verum tam ardui tamque late patentis argumenti uberior tractatio rationibus meis præsentique instituto aliena est. Sufficiunt itaque

^{m)} Leg. HEIDEGGER. d. I. Exerc. I. §. 31. seq.

ⁿ⁾ In theologischen Nachforschungen, auf das Jahr 1757. p. 347. seq.

itraque paucula illa, quae, ad Iuris Naturalis culturam prouirili conferre, pace ueniaque *B.LECTORIS*, hic periclitatus sum. Factum hoc est in gratiam et honorem Nobilissimi Clarissimique Candidati nostri, *AVGVSTI GOTTHELEFF SCHMVCKII*, *Budissa Lusat. Notarii Publici Caesarei*. Hic postquam apud nos cum examen primum pro Candidatura, sive tentamen, uti vocant, tum alterum, quod rigorosum audit, cum laude subiit sustinuitque ac binos textus, quos, more maiorum, ex utroque iure accepit, scite solideque explicuit, nostraque expectationi plenissime satisfecit, atque ad summos nunc in utroque iure honores legitime adspirans, Ordinis nostri consensum pariter, atque communem congratulationem, facile obtinuit. Quam uero nascendi sortem natus sit, quasue diligentiae academicae rationes hucdum laudabiliter inierit Clarissimus et Ornatisimus Candidatus, suis, quae hic sequuntur, uerbis, commenorandum, censuit:

*Ego, AVGVSTVS GOTTHELEFF SCHMVCK natus sum Budissae, in Lusatia superiore anno p.v.s. MDCCXXXIV ipso Augusti Calendis. Parentibus, ex summi Numinis beneficio, usque hic vixit honestis, patre *GEORGIO SCHMVCKIO*, matre *ANNA DOROTHEA* nata *GABLERINA*. Hi dilectissimi parentes, a tenerima statim iuuentute, me, ut religionis principiis pariter ac aliis scientiis imbuerer, domesticorum praecceptorum curae demandarunt. Postea adul-*



lus in Gymnasio, quod Budissae floret, receptus et praesertim
ZEISCKII Rectoris, LANI Conrectoris et WEISII Subre-
ctoris dexteritate in litteris eruditus sum. Nec ita multo post,
patria relicta, in ludum litterarum, qui Halae in orphanotro-
pheo institutus est, missus sum. Instructus deinde iis arribus,
quibus perceptis ad altiora spirare licet, anno D. MDCCL. I.
Halae albo academico insertus sum. Ibi in studio philosophico L.
B. de WOLF et MEIERVM duces elegi, in theologico,
cui runc temporis addictus eram, lectionibus BAVMGAR.
TENII et KNAPPPI interfui, in ebraico et graeco STIE-
BRIZIVM, et NICOLAI, in historico IOACHIMVM
docentes audiui. Relicis rheologorum, castra Iureconsultorum
secutus sum; quo favo in teguli scientia KNORRIORVM,
patris et filii, atque HEISLERI doctrina innutritus sum.
Anno Cbr. MDCCLII. Vitembergam me contuli, ubi Viri
Illustres CRELLIVS, RIVINV S, cuius praecipue singu-
larem erga me benevoleniam, multaque in me collata beneficia
laudibus satis extollere nunquam potero, HANACCIUS,
CHLADENIVS, KRAVSIUS et MENKENIVS
iurisprudentiam me docuerunt; in historiis RITTERVM et
in Philosophia HILLERVM praecceptores nactus sum. Tri-
ennio sic iam praeterlapsa Lipsiam adii, ibique totum fere cur-
sum iuridicum, vii vocant, altera vice absolui, duces in hoc se-
cutus sum SIGELIVM, FRANCKIVM, ZOLLERVM et
praesertim SAMMETIVM, cuius sane nescio eruditio; an
since-

sinceritas aut humanitas magis sit admiranda. *Pbysices pae-*
 cepta tradidit WINCKLERVS. Sed finis vitae academicae
 iam imponendus mibi videbatur, denuo igitur Vitembergam
 perii, proprioque Marte, ut vires meas tentarem, disseratio-
 nem: DE VSVCAPIONIS STATV SECUNDVM ORDINEM CHRO-
 NOLOGICVM XII. TABVLIS; AD IVSTINANVM elabo-
 rauit, quam sub praefidio illustris RIVINI publice in Auditorio
 Iureconsultorum die Vto Non. Maii A. D. MDCCLVI. defendi.

His peractis, almam Leucoream iterum reliqui et praeser-
 vim operam dedi, ut formam, qua iura ad usum forensem appli-
 cantur, discerem. Verum enim vero bellicosus et tristis Saxonie
 status, meos quoque turbauit circulos, nam cum parentum
 suasionibus amplius resistere non possem, securitatis causa,
 quae in patria valde incerta et dubia erat, Ienam me contuli, ibique,
 in numerum ciuium academicorum receptus, aliquamdiu
 commoratus sum. Sed post breve tempus patebat, meum aequem
 ac aliorum terrorem fecerat panicum fuisse, rursus itaque sedem
 mutauit, eandemque fixam Vitembergam transferre constituit.
 Quod cum factum esset, illustris Iureconsultorum ordo, post ex-
 mina consuetas, que sustinere me oportebat, iura candidatorum
 iuris veriusque et praxeos benigne mibi concessit. His iuribus usus,
 INSTITUTIONES IURIS, ipsum Imperatorem Iustinianum secu-
 rus et HISTORIAM IURIS secundum Viri Celeb. IO. AVG. BA-
 CHII historiam iurisprudentiae romanae, paelectionibus meis

expli-



explicare conatus sum; nec iis defui, nec unquam deero, quibus COLLEGIVM EXAMINATORIVM in institutiones Iustinianae instituere placuit.

Vt tamen eo melius fructus studiorum meorum colligere possem, unanimi facultatis iuridicae consensu, ad examen rigorosum iam admissus, iura, quae Doctori in iure competunt, submisse petui.

Sed restat nunc disputatio inauguralis, qua *specificationem ex principiis Iuris Naturae stricte sic dicti, seu cogentis, examinationam, PRAESIDE VIRO PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMOQUE LEONHARDO LUDOVICO MENCKEN, I. V. DOCTORE, FACULTATIS IURIDICAE ASSESSORE ORDINARIO, proximo Veneris die, qui XII. est Maii, in Auditorio maiori, horis, ante et post meridiem consuetis, in publico solemnique conflictu, tuebitur. Hunc itaque actum solemnam, ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PERILLVSTRES L. BARONES, PATRES CONSCRIPTI, OMNIVMQUE ORDINVM DOCTORES, PROFESSORES ATQVE ASSESSORES PRAENOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE, HOSPI-TES, CIVES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE, honorifica sua præfentia cohonestare haud deditigenetur, eosdem omnes ac singulos, et Collegii et meo Candidatique nomine, ea, qua par est officiorum pollicitatione ac humanissime oro rogoque.*

Wittenberg, Diss., 1756-58

ULB Halle
003 608 042

3



L
Sb



1758 3
26

ORDINIS IVRIDICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
PRO - DECANVS
CHRISTIANVS HANACCIUS
I. V. D
DIGESTI INFORT. ET NOVI PROE. PVBL
CVRIAEC PROVINCIALIS. SCABIN. ET
FACVLTATIS IVRID. ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO

S. D. P



1758.